3 2044 107 251 431

MH
270.1
L64



3

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
CORTICE PERVVIANO
EIVSQVE PRAECLARO IN FEBRIBVS LENTIS VSV

QVAM

AVCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS AC GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN CELEBERRIMA ACADEMIA IVLIA CAROLINA

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI ET EXPERIENTISSIMO

IO. GOTTLOB KRVGERO

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE ET PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM ET REGIAE BORVSSICAE SCIENTIARVM SODALI FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO

PRAECEPTORE FAVTORE AC PATRONO
AD VRNAS VENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS DOCTORALIBVS
MORE MAIORVM LEGITIME
IMPETRANDIS
IN IVLEO MAIORI
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

AVCTOR
IO. GODOFREDVS LVDOVICVS LINDEMANN
BRVNOVICENSIS

AD DIEM VII OCTOBR. MDCCLVII

HELMSTADII
LITTERIS VID. B. PAVL. DIETER. SCHNORR,
ACAD. TYPOGR.

3

VIRO

ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO

DOMINO

D. HENRICO IOANNI DE MEIBOM

SERENISSIMO DVCI BRVNOVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM A CONSILIIS AVLAE COLLEGII MEDICI DVCALIS BRVNOVICENSIS DECANO GRAVISSIMO ET PRAEPOSITVRAE S. BLASII CANONICO PRAECLARE MERITO

PATRONO AC PROMOTORI

PLVRIMVM SVSPICIENDO ET PIENTISSIME DEVENERANDO

HANC DISSERTATIONEM

INAVGVRALEM

PIETATIS ET OBSERVANTIAE

MONVMENTVM

SVBMISSE

CONSECRAT

AVCTOR.

PROOEMIVM.

Nullam plane exiſtere artem vel ſcientiam, quae non indies nova capiat incrementa, novisque ſubinde inventis locupletetur, nemo niſi laudabilis ardoris, quo ad veritatem latentem inveſtigandam flagrant eruditi, ignarus in dubium vocabit. Dicti veritatem inprimis confirmat ars noſtra ſalutaris. Seculum enim hoc, in quo vivimus, nobis exhibet nobiliſſimorum inventionem medicamentorum, quorum legitimo uſu tot mortales priſtinae red-

redditi ſaluti, ac orci faucibus erepti felici fato fuere. Primum horum, quod mihi in mentem venit, eſt illud famigeratiſſimum antiphlogiſticum, quod indies a celeberrimis Medicis feliciſſimo cum ſucceſſu ſcopo refrigerandi, motus temperandi, ſpaſmosque compeſcendi in uſum vocatur. Felices, ſi ſua bona norint Medici Itali, et calidiorum regionum, qui hoc refrigerante medicamento plerumque neglecto in febribus magis antiquum morem ſequuntur non ſemper laudabilem. Vſus internus camphorae in febribus malignis in recentiorum inventorum numerum etiam merito eſt referendus, putrefactioni enim obicem ponit, et optime reſolvit, vaſaque libera reddit obſtructa. Taceo reliqua, quibus ars noſtra locupletata indefeſſa Medicorum induſtria eſt: medicamentum eximiae virtutis ad morbos profligandos unicum adhuc commemorabo, corticem nempe peruvianum, medicamentum certe egregium et dixerim vere divinum. Vſus eius ſalutaris tantum fere in febribus intermittentibus primo innotuit poſt varia licet fata ac contentiones non exiguas, ſed ſucceſſu temporis, cum tot oſores non haberet amplius, ille cortex in aliis quoque morbis a celeberrimis Practicis in auxilium eſt vocatus, nempe in febribus non ſolum continuis, ſed aliis

quo-

quoque praecipue periodicis morbis, et qui febrem coniunctam habent, quorum quanta ſit multitudo, quis eſt qui ignoret? Quis olim cogitaſſet de cortice peruviano in haemopthyſi, in qua ob coniunctam febrem utiliſſimus deprehenditur, et cui in mentem veniſſet, illum in epilepſia adhibere, quum tamen ſi periodica eſt, eius uſus praeſtantiſſimus deprehendatur. Haec experientiae conſona eſſe confirmat celeberimus TORTVS in Therapia p. 294 qui affirmat „intermittentes febres ſubintrantes primum „tum proportionatas demum continentes factas ſanari „cortice poſſe.„ Porro in febribus lentis providendum, ut craſis et mixtio ipſius ſanguinis ab intima diſſolutione et colliquatione, quam continuus calor minatur, vindicetur et aequilibrium inter calidum et humidum conſervetur. Hunc in finem ſalubria ſunt a Medicis paſſim laudata leniora adſtringentia et roborantia. Celeberrimus HOFFMANNVS in Therapia ſpeciali p. m. 246. de febre lenta ita pronunciat. „ Nec plane omittendus cascarillae uſus et ipſe quoque chinae cortex. „ Huic etiam effato HOFFMANNI adſentitur celeberrimus HEISTERVS alter Hippocrates in Compendio Practico p. 113. Nec non exſerit effectum cortex noſter in variolis, quia ſemper cum febre

febre ſunt coniunctae. Confer. MORTONI Pyretolog. de febribus inflammat. p. 121-128. In aliis etiam morbis per periodos adfligentibus effectum edit praeſtantiſſimum, ad quorum claſſem pertinet hemicrania periodica ſine febre. Vid. MORTON l. c. Hiſtor. 27. p. 100. In ophthalmia periodica ſumme dolorifica utitur TORTVS in Therapia p. 330. Hydropem quoque ſanare cortex noſter deprehenditur, nam tonum dat vaſis lymphaticis propter vim ſubadſtringentem. conferatur ELIAE HEISTERI peculiaris hac de re diſſertatio. Praeſtantiſſimum etiam noſter cortex adfert aegroto levamen in gangraena et ſphacelo, diro morbi genere, confer. Illuſtris Werlhof p. 332. ut taceam plura. Dantur autem nonnulli Medici, qui uſum corticis noſtri in febribus lentis plane averſantur, quamvis experientia doceat, praeſtantiſſimum uſum in his exſerere febribus. Hoc argumentum itaque dignum nobis viſum fuit ulteriori disquiſitione eamque ob cauſam et corticis peruviani deſcriptionem ſuppeditabo et de eius praeſtantia in febribus lentis nonnulla proferam, periculum facturus, quid valeant vires, humeri quid ferre recuſent. Faxit Summum Numen, ut omnia in veritatis medicae emolumentum aegrotantiumque cedant ſalutem.

§. I.

§. I.

HISTORIA.

Antequam praeclarum corticis peruviani uſum in febribus praeſertim lentis oſtendam, non inutile cenſeo brevibus indicare, quod ad hiſtoriam illius naturalem pertinet. Cortex, licet tam Medicis quam Pharmacopolis ipſisque non raro aegrotis notiſſimus ſit, arboris tamen deſcriptionem botanicam genuinam apud autores materiae medicae nondum invenio omnibus numeris abſolutam, licet de cognoſcenda arbore, quam cortex veſtit, fuerint ſoliciti Botanici, donec e ſocietate regia ſcientiarum Pariſienſi Domino de la Condamine (a) contigit in itinere quod Americam meridionalem ſpeciatimque urbem Loxam in regno Peruano ſitam, inſtituit arborem quavis anni tempeſtate folia, flores et fructus proferentem videre. Qui quidem ſupra citatus auctor gallico idiomate et deſriptionem et iconem rami arboris una cum tota fructificatione actis gallicis inſeruit, arborem vero nec ad ſyſtematicorum claſſes nec genera reduxit, meum itaque eſſe arbitror, primo nomen et deſcriptionem arboris tradere, dein ad claſſes et genus referre, poſt ex analyſi chemica mixtionem illius corticis oſtendere.

§. II.

NOMEN ET AETIOLOGIA.

Nomen et Aetiologiam quod attinet, ex erudite de hac re ſcripta diſſertatione Med. Doct. Eberhard

(a) Vid. L' hiſtoir. de l' Acad. R. A. 1738. p. 226 ſeqq.

Roſén patet, quod Europaeis primum Ann. 1638 cognitus ſit arboris cortex. Ait nimirum Autor:
„ De Americano bene meritus praefectus Loxae
„ Hiſpanus in mercedem benefactorum arcano hoc
„ donatus eſt. Hic quidem uxorem proregis comi-
„ tis del Cinchon febre tertiana miſere decumbentem
„ cortice ſanavit, unde fama crevit Pharmaco et no-
„ men accepit pulveris Comitiſſae ſeu del Cinchon
„ (a) forte et Chinae. Hiſpaniam vero delatus cortex
„ circa annum 1640 tum vero Romam ad cardinalem
„ de Lugo, Ieſuitis maxime id procurantibus pul-
„ vis patrum Ieſuiticus vel Cardinalis de Lugo ap-
„ pellatus eſt. Arboris nomen itaque eſt *Cinchona Quinquina*, quoque *Kina Kina*, Peruanis vero nunc *Corteza* ſeu *Cascara* de Loxa et *Cascarilla* vocatur, veteri nomine *Palo* de *Calenturas* abolito. (b)

§. III.

DESCRIPTIO.

Cinchona. Quinquina Condamin. Act. Gall. 1738.

Radix caudex deſcendens radiculis confertus.

Caudex aſcendens arboreus ramoſiſſimus, cortice craſſo, tectus epidermide ſtriato-rimoſa.

Rami aſcendentes ſimplices foliis oppoſitis conferti pedunculis terminalibus.

Folia

(a) Exinde forſan nomen *Cinchona*.

(b) H. d. l' Acad. Roy. l. c. p. m. 237.

Folia petiolata, integerrima, ovato lanceolata nitida, ſubtus magis quam ſupra viridia utrinque nervoſa, nervus folii medium a baſi apicem verſus percurrens, qui utrinque nervulos alternantes utplurimum ſeptem laterales diſpergit rubro colore notatos.

Pedunculi ex axillis foliorum prodeuntes, ſolitarii, multiflori, quorum ſingulus plurimos emittit pedicellos, floribus confertos.

Bracteae duae oppoſitae ovato lanceolatae integerrimae, foliis multo minores ad baſin hinc inde pedicello adnatae.

Calix perianthium, monophyllum, quinquefidum, perſiſtens reſpectu corollae minimum laciniis lanceolatis aequalibus, ovarium arcte cingens.

Corolla monopetala infundibuliformis. Tubus cylindraceus calice multo longior. Limbus patulus, quinquefidus, margine ſerratus dentatus, cuius ſuperficies interna colore gaudet pulchre rubro, cocco ſimili, magis autem verſus limbi extremitates pallido. Tubi ſuperficies externa deformate rubro, inſuperque lanugine tecta alba.

Stamina filamenta quinque minima tubo adnata. Antherae oblongae pallidae.

Piſtillum germen ſubrotundum infra receptaculum floris, ſtylus filiformis longitudine corollae,

 ſtig-

ſtigma duobus diviſum lobis, patens viride.

Pericarpium capſula ſubrotunda coronata calice patenti maioreque corolla delapſa facto, bilocularis, univalvis, valva repraeſentat pelliculum nitidum flaveſcens, capſula exſiccata a baſi verſus apicem bifariam dehiscit.

Semina oblonga compreſſa, foliolo rubello ſimillima, in medio magis quam apice inflata, rudimento novae plantae foeta marginata.

Receptaculum oblongum et baſi et apice acuminatum, grano avenaceo ſimillimum, cui ſemina imbricatim adnata ſunt.

§. IV.

CLASSES.

Ex data deſcriptione claſſes facile ad quas *Cinchona* amandari debet formari poſſunt.

Cinchona itaque eſt ſecundum

Caeſalpinum. Arbor corde e baſi ſeminis

Moriſonum. Arbor capſula biloculari.

Raium. Arbor fructu umbilicato. Calix a flore delapſo reſiduus fructum coronans.

Hermannum. Arbor gaudens flore petalode fructu umbilicato ſeu calice coronato ſicco.

Boerhaavium. Arbor monopetala ovarium intra florem, fructu unicapſulari biloculari.

Rivi-

Rivinum. Regularis monopetala pericarpio unicapſulari

Heiſterum. Arbor ex legione ſecunda polycotyledonum, flore perfecto quinquifido, capſula biloculari.

Ludvigium. Monopetala regularis, pentanthera monoſtyla, capſula bifariam dehiscente biloculari.

Tournefortium. Arbor flore monopetalo regulari infundibuliformi.

Magnolium. Arbor calice externo et interno flore monopetalo.

Linnaeum. Pentandria monogynia.

§. V.

GENVS

Genus ſtabilitum eſt a Linnaeo et Ludvigio

Cinchona L. *Quinquina* Condam. Act. gall. 1738.

Cal. Perianthium monophyllum, quinquefidum minimum perſiſtens

Cor. Monopetala, infundibuliformis. Tubus cylindraceus, longus. Limbus patulus quinquefidus, ſerratus acutus.

Stam. Filamenta quinque minima. Antherae oblongae intra tubum corollae.

Piſt. Germen ſubrotundum, infra receptaculum flo-

ris. Stylus longitudine corollae. Stigma craſſiuſculum oblongum ſimplex (a)

Peric. Capſula ſubrotunda, calice coronata a baſi verſus apicem bifariam dehiscens.

Sem. plurima oblonga compreſſa marginata

Obſ. Flos interdum demit quintam partem numeri in ſingulis partibus.

§. VI.

SPECIES.

An plures dentur *Cinchonae* ſpecies adhuc ſub iudice lis eſt, et ſpes eſt, daturum de his certiora D. de Iuſſieu ſiquidem, ut animus erat, Loxam venerit (b) ſed, niſi me omnia fallunt, hactenus hocce argumentum illuſtrantia, nec in numerum plantarum rariorum, quas ille literis et actis Pariſinis inſeruit, invenio. Aſſerit quidem de la *Condamine*, Peruanis tres numerari diverſas ſpecies

Cinchona cortice albido
- - - - luteo
- - - - rubro

a) Albidam praeditam magis eſſe foliis rotundis non ſplendentibus aſperiuſculis floribus albidioribus ſeminibus maioribus. Crescere hanc in ſum-

(a) Simplex ſtigma aſſumit LINNAEUS, LUDVIG contra ſtigma tripartitum: quamvis clare patet ex icone ſtigma duobus diviſum lobis.

(b) L'hiſtoir. de l'Acad. R. 1738 p. 229.

ſummitatibus montium a ceteris ſeparatam, quum reliquae invicem mixtae creſcant, nulliusque corticem ab incolis putari virtutis.

b) Duas vero ultimas ſpecies, excepto corticum colore non ſolum quo ad totam fructificationem, ſed virtutes etiam inter ſe plane convenire, quid! quod? cortices arboris eiusdem differre. Trunci corticem craſſum admodum eſſe, latitudine volam manus aliquando aequantem, in cannulas non convolutum, profundis vero ſulcis ſaepe exaratum. Contra vero cortex e ramis detractus ſecundum WERLHOFIVM (a) in cannulas convolutus eſt mediocriter craſſus, maxime nunc in uſu, a MORTONO vero olim commendatus. Ille radicibus decorticatus ſecundum GEOFFROI (b) in fruſtulis tenuibus minutim conciſis interne flaveſcentibus, externe caneſcentibus ad nos adfertur. Quum autem ex conſideratione corticis ſola ad ſpecierum differentiam concludi nequeat, adhuc ſumus incerti, an plures dentur CINCHONAE verae ſpecies; quod autopticam Botanici analyſin requirit, quam ſedulo a D. de Iuſſieu expectamus.

§. VII.

Antequam verum CINCHONAE genus innotuit ex relatione D. de la CONDAMIN. modo hae, modo illae

(a) Werlhof obſervat. de febr. p. 85.

(b) Geoffroi M. M. tom. 2. p. 179.

illae arbores ex ignorantia quadam pro vera CINCHONA ex Americanis ſunt translatae Europam, dummodo partim vel nomine, vel forma cum vera arbore convenerint. Ex his ſe offert.

1) Chinae radix officinarum, quoque Americanis China dicta, quae autem ſecundum LINNAEVM ſpecies Smilacis et ſecundum eius characterem Dioecia hexandria eſt. (a)

2) Cortex caſcarillae. Peruanis quoque dicta vera Chinae arbor. Quae autem ad genus Clutiae et Dioecia gynandria. (b)

3) Caſſia coryophyllata, quae ſecundum LINNAEVM ad Myrtum refertur et icoſandria monogynia eſt. (c)

Cuius cortice ſecundum BLEGNY (d) uſi ſunt quidam impoſtores, cum cortice ceraſorum in aqua aloe impraegnata macerato, eundem miſcentes.

4) 1754 Excellentiſſ. HEISTERVS accepit plantam ex horto Amſtelodamenſi nomine Cinchona. Verum huic generi a LINNAEO in Gener. Plant. capſula ſubrotunda bilocularis adſcribitur, qualis haec non eſt, ſed triloeularis. Floruit haec hyeme in hibernaculo noſtro, ſed flos ita fuit exiguus,

(a) Vid. Linnaei M. M. p. 163.

(b) Ibid. p. 166.

(c) Ibid. p. 78.

(d) Blegny Remed. Angloiſ. p. m. 22.

guus, ut calicem et petala videre non potuerim. Hinc forte eſt planta apetalos, ſtamina etiam non examinare potui ob parvitatem.

§. VIII.

Quae itaque recenſitae arbores cum ne genere quidem conveniant, olim verum in uſum promiſcue ex quadam loci praeſertim natalis incertitudine tractae ſint, factum eſt, ut cortex noſter multis variisque obnoxius fuerit fatis, dum eventuum felicitate primum clarus, cepit tamen evileſcere, et hoc potiſſimum ex mercantium fraude, qui ob illius pretium ingens arte vel mangonio cum huius vel illius arboris cortice tentarunt augere, et medicamentum hocce in febribus alias divinum, iners plane, ne dicam, nocivum reddere. Et haec mea ſententia potiſſimum eſt cauſa, quare multi doctiſſimi alias viri huncce corticem execrati et deteſtati ſunt, quid quod publicis ſcriptis de plane ſupprimendo eius uſu ſedulo cogitarunt.

§. IX.

Proximum iam eſt, ut abſoluta CINCHONAE hiſtoria naturali corticis illius partes conſtitutivas ex inſtituendis experimentis chemicis oſtendere deberem, quod autem ere ſuperfluum iudico, praeſertim cum haec a NEVMANNO, GEOFROI, HERMANNO aliisque Mater. Medicae autoribus circa corticem noſtrum iamiam exacte inſtituta clareque memoriae mandata ſunt. Quare ne nimis longus ſim ex Cel. FRIED. CAR-

 THEV-

THEVSERI fundamentis Mater. Medic. brevibus partes illius conſtitutivas heic inſeram.

§. X.

Affirmat nimirum autor, praeter copioſas partes terreas et valde activam ſubſtantiam fixam gummeo-reſinoſam, nullum amplius principium conſideratione dignum analyſi chemica in cortice peruviano detegi. Mucido aromaticum odorem, tritura praeſertim accedente, partium quoque volatilium praeſentiam prodere, aſt has ipſas pauciſſimas valde debiles et nullius itaque ſub virium explicatione momenti eſſe. Oleum eſſentiale prorſus deficere: nam quicquid igne ſicco ac violento expellatur, non eſſentiale ſed empyrevmaticum eſſe, ex deſtructa demum ſubſtantia fixa reſinoſa, interveniente inſigni partium metamorphoſi produci. Libram corticis integram obſervante NEVMANNO binas ſolummodo drachmas huius olei et tres circiter uncias liquidi ſpirituoſi aqueo-aciduli fundere. Caput mortuum in vaſe aperto calcinatum et aqua poſtmodum elixivatum vix drachmam unam, immo ſaepius duos duntaxat ſcrupulos ſalis fixi alcalici ſuppeditare. Porro ubi loquitur autor de partibus corticis gummoſis et reſinoſis, affirmat: illas intime et arctisſime inter ſe cohaerere, quare nec ſpiritu nec aqua plane a ſe invicem ſeparari poſſint. Clariſſimum PHIL. ANDR. BOEHMERVM ex uncia corticis una duas ferme drachmas extr. aquoſ. primi et drachmam unam extr. ſpirituoſ. primi impetraſſe, cum neque NEVMANNVS neque ipſe, licet examini-

bus

bus bis ſuſceptis, tantam extracti utriusque quantitatem colligere potuiſſet. Quam autem notabilem quantitatum diſcrepantiam a diverſa corticis bonitate dependere credit.

§. XI.

Concludit itaque ex inſtitutis examinibus autor, quod partes reſinoſae maiori quantitate, quam gummoſae naturalem corticis peruviani mixtionem ingrediantur: et hae magis amari, illae vero magis ſtyptici auſteri ſaporis rationem in ſe contineant. Quod ſecundo ſubſtantia gummea praecipue abſtergendo ac mitius roborando; reſinoſa autem validius adſtringendo in corpore operetur, et priori itaque in genere potentior exiſtat. Et quod ultimo decantiſſima corticis virtus febrifuga, quam plurimorum Medicorum opinione, quodam fundamento ſed unice memorata abſterſione ac valida imprimis adſtrictione nitatur febribusque rebellibus profligandis unice ſufficiat.

§. XII.

DESCRIPTIO FEBRIS LENTAE

Praemiſſa igitur diſquiſitione Botanica et Chemica, nunc ad ſpecialiorem corticis uſum in febribus lentis me convertam. Nam a meo alienum eſt propoſito, omnes febres tam intermittentes quam chronicas hic delineare. Ordo vero requirit, ut ante omnia claram atque diſtinctam praemittam febris lentae deſcriptionem, ex qua eo melius ſequentia intelligi

 pos-

poſſunt. Intelligimus vero per febrem lentam, illum ſtatum corporis humani, in quo calor praeter naturalis, lenis tamen, aliquot inprimis poſt paſtum horis exacerbari ſolitus, per longum tempus durat, coniunctus cum inſigni corporis contabeſcentia et virium languore.

§. XIII.

DIFFERENTIA AB ALIIS FEBRIBVS

Data igitur notione clara atque diſtincta, meum erit, illas adducere adfectiones, ex quibus perſpicue videri poteſt, quomodo differat lenta ab aliis febribus. Magnum intercedit diſcrimen inter febres lentas et intermittentes, nam febris intermittens eſt calor praeternaturalis a motu cordis et arteriarum frequentiore dependens, et cum nullo ordinarie periculo eſt coniuncta. Duplex namque in hac febre deprehenditur motus diverſae indolis, qui diverſum exerit effectum. Vnus, qui a peripheria ad centrum vergit, alter vero qui a centro ad peripheriam tendit, hosque motus excipit plenaria apyrexa. Febris vero lenta eſt ſpecies continuae, et haec ſecumfert ſymptomata: nunquam penitus intermittit, ſed remittit, inprimis poſt paſtum ingraveſcit, pulſus eſt celer et debilis, corpus emarceſcit et vires languent, denique tandem in alium dirum, niſi tempeſtive medicamentis antifebrilibus ſucurratur, morbum, febrem nempe hecticam mutatur, ubi in ſummo vitae diſcrimine aegrotus eſt poſitus.

§. XIIII.

§. XIIII.

CAVSSAE

Inter cauſas, quae huic febri praebent anſam, merito referuntur febres intermittentes praegreſſae et intempeſtive per adſtringentia ſupreſſae, aliaeque continuae mala methodo tractatae, ubi materia morbi nondum ſatis digeſta, correcta aut evacuata, ubi humores illi ſpiſſi viſcidique remoram faciunt circuitui ſanguinis et obſtructionibus viſceris alicuius vitalis occaſionem dant, ex quibus dein dirus oritur morbus, qui dicitur febris hectica. Cauſam etiam praebent vel defectus vel exceſſus excretionum naturalium. Tranſpiratio cutanea ſuppreſſa, ubi omnes humores noxii, viſcidi ſuperfluique in corpore retinentur, qui totam ſanguinis maſſam inquinant et inordinatum eius circuitum reddunt. Ad alteram claſſem pertinent haemorrhagiae nimiae perpeſſae, ubi aegroti vires perdiderunt, et vaſa inanita collabuntur cavitatesque ſuas amittunt. Ad hunc morbum inducendum etiam pertinent animi affectus vehementiores inprimis ira, terror, moeſtitia, vigiliae nimiae alaeique cauſſae plures, quae ſpasmodice conſtringunt partes externas, qua conſtrictione ſanguis a peripheria ad centrum propellitur, et omnis generis excretiones ſupprimuntur, haec diſponunt maxime ad morbos, qui ab excretionibus ſanguinis ſufflaminatis proveniunt, ideoque ad febrem lentam. Variolae et morbilli male tractati etiam in hunc cenſum ſunt referendi. Ex cauſis igitur in medium prolatis, quae hanc inducunt

febrem lentam, haud difficile eſt iudicatu, cur febris lenta adeo facile in hecticam mutari poteſt. Nam febris lenta, uti iam antea dixi, originem plerumque ſuam trahit ab alio morbo praecedente mala methodo tractato, in quo ſanguis a materia peccante eſt inquinatus. Haec materia craſin eius deſtruit et ſpiſſiorem reddit, vaſa ultima obſtruit, exinde denique ille producitur morbus, qui dicitur febris hectica, quae tam multos homines lenta tabe conſumtos morti tradit.

§. XV.

AN FEBRIS INTERMITTENS PRAESTET VSVM?

Si quaeſtio movetur, an febris intermittens magis ſalutarem quam noxium edat plerumque effectum? affirmativam ego amplector ſententiam. In febribus enim intermittentibus alternans ſpaſtica fibrarum commotio ſanguinis circulum vehementiorem vividioremque reddit, eoque ipſo efficit ut tenaces viſcidae ac immeabiles in ſanguine haerentes materiae reſolvantur, attenuentur aptaeque reddantur ut per cutis poros renumque canaliculos expelli poſſint, halituoſae vero ſubtiles et acrimonia peccantes particulae felici effectu per ſudorem paroxysmum febrilem excipientem excernuntur et e corpore e limenantur. Quis itaque non videt febrem intermittentem eſſe ſui ipſius medelam, dum ſui cauſſam removet. Febrem intermittentem dico, nam ipſa haec intermiſſio et ceſ-

ſatio

ſatio motuum praeternaturalium efficit ut vires conſerventur et amiſſae ſub paroxyſmo ſi non perfecte ex parte tamen recuperentur. Hinc ſuperata febri intermittente ſaepe audimus homines exclamantes; Der Menſch iſt nach dem Fieber recht geſund geworden, vel Die Natur hat ſich bey ihm nach dieſer Kranckheit geſetzt. Interim non negamus neque moleſtia neque omni periculo carere febres intermittentes, quare medici officium requirit pro circumſtantiarum diverſitate diverſa medicina praeparata prius et dein expulſa materia peccante praeternaturales motus compeſcere, qnod uti in vulgus notum eſt melius quam per corticem peruviannum fieri nequit.

§. XVI.

DE FEBRE LENTA

Alia longe eſt facies febris lentae. Pertinet enim ad continuarum familiam. Propterea vires amiſſae non ſicuti in intermittentibus, interpoſita quiete et apyrexia, recuperantur, ſed ſenſim ſeſimque pereunt, quae vero ſpes eſt febris ſuperandae deficientibus viribus ad id neceſſariis. Accedit, quod calor ille et ſudor febrilis liquidiſſima ex noſtro ſanguine diſſipet. Calore enim aucto, mobiliſſimam illam ſanguinis partem cito diſſipari haud difficile eſt judicatu. Haec itaque conſumtio liquidorum reliquam maſſam ſiccat, denſat et in immeabilem materiam conglutinat. Aquoſa enim et tenuiſſima illa pars ſanguinis e corpore eliminatur, hinc reſiduus ſanguis aqua, ſeroque

que orbatus quae antea cum ſanguine mixta horum impediverat adunationem, ſiccatur, redditur denſior, difficulter deinde per vaſa movetur, unde viſcerum infarctus et obſtructiones non poſſunt non originem trahere, quae febrem hecticam comitem habent, donec tandem totum corpus ſudoribus diffluat vel diarrhoeis colliquatum exhauſtis viribus pereat. Tardus eſſe ſolet hic, ſed certus ſemper ac funeſtus febris hecticae exitus. Quanta quaeſo inter febrem lentam et intermittentem differentia. Liceat iam ex illa ſic concludere: ſi cortex peruvianus in febribus intermittentibus laudabilem effectum edit, quae tamen plerumque ita comparatae ſunt ut magis ſalutares dici mereantur quam periculoſae, ſequitur ut multo maiori cum fructu in febribus lentis adhibeatur. Ad antecedens noſtri ratiocinii quod attinet illud a nemine hodie in dubium vocatur, et conſequentia nititur modo enarrata utriusque febris intermittentis ac lentae differentia. Cur enim dubitare vellemus febrem ſupprimere quae hecticam lethalem pediſſequam habet, vel calorem exſtinguere quo cum ſuccis laudabilibus vires perduntur.

§. XVII.

QVOMODO CORTEX VSVRPANDVS.

Cortex ille chinae, quoniam non modo amaritiem, qua acidum vitioſum tam in lentis quam intermittentibus corrigitur et blandior ſtimulus ſanguini conciliatur, habet, ſed etiam elementum genus nervoſum

voſum imbecille, et ad novam febris materiam progignendi pronum roborandi obtinet aptum aliis antifebrilibus recte anteponitur. Auſpicata huius remedii operatio ſequitur ſi pulſus, qui antea erat celer et debilis vegetius et robuſtius micare incipit. Hoc etiam accidit in robuſtis ſecunda valetudine utentibus hominibus exhibita portione corticis illius. Nec non in ſtomachi vitiis praeſtantiſſimum exſerit effectum doſi refractiori ob vim ſubtilem tonicam, quae ipſi ineſt, tonum enim dat membranis ventriculi, ad frequentiorem motum ſtimulat periſtalticum, maiorem liquoris gaſtrici affluxum excitat, ex hoc ſequitur bona digeſtio, concoctio ciborum et praeſtantiſſima chylificatio. Pro ratione etiam circumſtantiarum, ſi aeſtus nimius aegrotum urget cum nitro naturae amiciſſimo, ut fervorem exſtinguat, et cutis poros relaxando liberiorem efficiat perſpirationem, ob tenacitatem humorum cum terra foliata Tartari, quae optimum eſt incidens, reſolvens quae in illis adhibetur morbis ab obſtructione ortis, et ad alvum obtinendam lubricam cum rhabarbaro combinari poteſt. Sed ſi aegroti pulveres plane abhorrent cortex in infuſo cum aqua et vino rhenano parato propinari poteſt. Non ſolum Ill. Praeſes huius corticis uſum in febribus lentis propria experientia comprobatum invenit, ſed etiam celeberrimi et in praxi Medica feliciſſimi Medici quorum primus mihi in mentem venit *Morton* in phthiſiolog. c. 12 p. 127 ubi ſequentia exſtant verba. „Phthiſis a „ nulla alia febre frequentius, quam ab intermitten-

„ tibus originem ducit, maxime ubi ob efficacium
„ medicamentorum nnglectum chronica evadit; ab
„ eiusmodi autem phthiſi plures ſolo cortice curavi
„ aliis medelis inſanabiles, *Hamilton* in tractatu de
„ Praxeos regulis p. 35 huic adſentit et ibi inveni-
„ untur hae laudes corticis peruviani in hectico ca-
„ lore in quem ſebris nonunquam deſinit vix quic-
„ quam praeſtantius! Celeberrimus anglorum dum vi-
„ veret medicus *Mead* in monitis et praeceptis Me-
„ dicis p. 30 ita pronunciat. His omnibus nobile il-
„ lud antidotum cortex Peruvianus opitulabitur.
„ Ac vir denique mea laude ſuperior Werlhoſius in
„ obſervationibus de febribus p. 53 § VI ſcribit. Quod
„ ſi vero chronici affectus ex materia nati, vel cum
„ eadem adhuc miſti ſunt, vix eſt, quod cum corticis
„ virtute comparari poſſit.

SVFFICIAT.

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

IOANNI GODOFREDO LVDOVICO LINDEMANN

HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATO

DIGNISSIMO

S. P. D.

IO. CONRADVS BERG,

HAMBVRG.

Med. Cult. Opp.

Arduam ſane et ob intellectus noſtri limites tota vita non exhauriendam eſſe artem medicam, docet notum illud Anteſignani *noſtri effatum:* vita brevis, ars longa. *Quae cum ita ſint, quilibet ſana ratione ductus hocce ſtudium amplecti haereret, niſi maxima ſimul exinde naſceretur totius generis humani utilitas, quae adeo perſpicua eſt, ut nemo illam negare audeat. Minime itaque vana et irrita habenda eſt opera illorum, qui huic ſcientiae incumbunt, ſed potius omni laude et honore digni putandi ſunt veri et ſtrenui artis ſalutaris cultores. Inter hos* TE *refero* Amice aeſtumatiſſime! *qui praeſtan-*

tiam medicinae perſpiciens animum bono auſpicio ad hanc applicaſti, et indefeſſo ſtudio immenſas eius partes ita abſolviſti, ut ad ſummen in hac arte dignitatem capeſcendum a ſpectatiſſima facultate medica *aptus iudicatus ſis. Familiaritati noſtrae, cuius memoria ſemper grata mihi eſto, nihil magis erit conſentaneum, quam ut meam ex hoc TVO honore perceptam laetitiam publice declarem, et inſuper de Diſſertationis TVAE novo et maxime utili argumento, quod certo certius memoriam nunquam interituram TIBI conciliabit; ex animo gratuler. Adſit porro ſummum Numen conatibus TVIS in aegrotorum ſolamen ſuſceptis et largiatur TIBI valetudinem ad ſeros annos haud interruptam, quo uberiores adhuc ſolertiae fructus capere poſſis. Vale* Amice ſuaviſſime! *et abſens amicitiae memor ſis rogo. Dab. Helmſtadii d. VII Octob. A. O. R. MDCCLVII.*

PRAENOBILISSIMO

AC DOCTISSIMO

DOMINO DOCTORANDO

S. P. D.

CHRISTOPH. AVGVST. FRANZ

HEVMANN

BRVNOVICENS.

M. C. Opp.

Partes opponentis, quas mihi demandaſti, eo lubentius ſuſcipio, quo maiori ſemper flagravi cupiditate, doctiſſimis TVIS intereſſe colloquiis et doctrinam TVAM, quae ſane eſt praeclariſſima, hoc modo in meos conferre uſus. Pluribus

 hic

hic in laudes TVAS VIR PRAENOBILISSIME, excurrere eſſet ſupervacaneum, quum amplae TVAE atque ſolidae doctrinae publicum orbi litterato exhibens ſpecimen meo haud indiges praeconio. Merita ergo iam iam induſtriae TVAE atque eruditionis TIBI conferuntur praemia, quod fauſto vt eveniat auſpicio, ſumma eſt meorum votorum. Quod reliquum, de honoribus hiſce digniſſimis feliciter capeſſendis ex animo TIBI gratulor, atque exoptatum felicitatis TVAE progreſſum candido pectore apprecor. Me vero ulteriori TVO amori favorique habeas commendatiſſimum, enixe abs TE peto. Vale. ſcrib. Athenis ad Elmum d. VII. Octob. MDCCLVII

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

CANDIDATO HONORVM DOCTORALIVM

DIGNISSIMO

AMICO ET FAVTORI OPTIMO

S. P. D.

ANTONIVS FRIEDERICVS

STOCKHAVSEN

M. C. Opp.

Illud Helmontii: multa ſcientia et pauca medicamenta medicum nobilitant, *in TE quoque praeſtantiſſime amice reperiri teſtes habeo quam plurimos. Publicum evidentiſſimumque huius rei teſtimonium perhibet* ſcriptum tuum inaugurale *quod nunc coronidis loco ſtudiis tuis ante tres et quod excurrit annos in Iulia hac celeberrima abs TE inchoatis, feliciter imponis. In amplum excurrerem campum, ſi brevem duntaxat omnium, quae te ornant, virtutum, doctrinaeque*

que

que, quam in medicina TIBI ſummo ſtudio comparaſti, rationem inſtituere vellem; aſt quoniam aures tuas mihi benevolas gravare ſit verendum, hoc potius intermittam. Sufficiat mihi dulce exclamaſſe dictum: Vino vendibili *non opus eſt* ſuſpenſa *haedera. Praecor ceterum divinum numen, velit TE quam diutiſſime ſartum tectumque ab omni periculo conſervare, praxinque medicam TIBI ſatis fervidam et felicem largiri; ita ut omnes in poſterum TVI conatus atque labores ex voto ſuccedant TIBI, bono autem publico, aegrotantibus praecipue miſeris ſint fauſti atque ſalutares. Ita valeas, Vir praenobiliſſime, ac memoriam mei, deditiſſimi TIBI, nec unquam ex animo ponas. Scribebam Helmſtadii. d. VII. Octobr. MDCCLVII.*